



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv
Redivivae**

Rhay, Theodor

Neobvrgi Ad Danvbium, 1663

IV

urn:nbn:de:hbz:466:1-10835

CAPVT B. M. MARGARITÆ Virginis, quæ virtutis odorem longè, latèque spargens, ad nos sanctitatis suæ radios transmisit. Corpus duriter habebat; cubile terra, cilicium culcitra, deliciæ panis & fons; demum clarissimorum parentum heres quidquid ab ijs obtinuerat, hilari dein manu in pauperes effudit. quibus alijsque *virtutibus dives hæc MARGARITA*, cælo amata, terris erepta est. *Ex sacrarij monumentis.*

III.

IN *Arce Volmundstein* solemnis commemoratio *venerabilis Hostie EVCHARISTICÆ*, & multis retrò seculis *miraculose.* *Ex Ap. Gel. & Annal.*

IV

ENGELBERTVS ex MARCANORVM Comitum profapia anno à Christo nato 1345. tenuit *sedem LEGIAM PRINCEPS Illustrissimus*, prudentiæ laude maximus; morum non minùs maiestate, quàm humanitate venerandus; summus apud alios, apud se nullus; in primis pius ac metuens **DEI**. Quibus virtutibus *Pontifex* captus, allectaque *Colonia* communibus calculis

ac votis

ac votis *Archiepiscopalem ei Mitram obtulere,*
 quâ admiffâ statim *Politico Ecclesiasticôque statui*
 ita consulebat, vt omnibus esset Charus, Hero-
 icas eius virtutes suspicerent vniuersi, cuius lem-
 ma erat: *summa Voluptas est voluptatibus caruisse.*
 quare eâ contemptâ dum ad cælestes volupta-
 tes (de Patria & Ecclesia optimè meritus) to-
 to affectu anhelat, morbo nec diuturno, nec
 gravi, sed languore consumptus ad eas tanquam
 laborum præmia evolavit, anno ab orbe redem-
 pto M. CCC. XCV. Mortuum vrbs & patria
 vniuersa magnis exequijs honorauit & fleuit:
 & Coloniae more maiorum tumulatus, nos ex-
 emplo suo monens, *ut cum eo de infinito fine vi-*
uentes seriò cogitemus, ut infinite vivamus. Chron:
 Colon. & Gloria R. P. Lobbetij.

V.

LUDOVICVS Comes à Ravensberg Episcopus Os-
 nabrugensis 33. vir sapiens, raræ modestiæ ac
 mentis infractæ, quâ animatus frequenter in
 Ecclesiæ suæ hostes arma movit; & cum iisdem
 plurimis prælijs attritis, demum plenâ acie fe-
 liciter concurrans, omni Osnabrugensi ditione
 suâ expulit, plurimisque possessionibus Eccle-

L

fiam